

# Alte Drucke

**Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de  
Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ  
Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...**

**Serrurier, Pierre**

**Amsterodami, 1668**

**Psalm. XCVI.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

sint, Magni istius Sabbati consortes erunt facti; nihil tamen obesse, quo minus in alios quadret, etiam in illo tempore, inter quos eandem utilitatem possit habere, ac quondam tempore Mosis, vel tempore Apostolorum. Nam quemadmodum tempore Mosis hæc Admonitio seu Cautela dirigebatur ad illos qui viderant Mirabilia Dei in Ægypto, & in Mari Rubro, nec non & in Deserto, eaque propter in tentatione, eadem erant experturi: Et quemadmodum tempore Apostoli iterum eadem Admonitio seu Cautela siebat ad illos, qui Jam initiati erant in **C H R I S T O**, & in eo viderant jam ejus Mortem, Resurrectionem, Ascensionem in Cœlos & Effusionem Spiritus Sancti, velut **D E I** Mirabilia Opera, eaque propter non minus tentationes varias erant subituri: Ita quoque tempore Magii Sabbati, quando, post sex millium annorum labores exantatos, **D E U S** Populo suo Requiem dederit, erunt Terræ Incolæ, quibus omnia hæc **D E I** in Impios exercita Judicia, & gloria tunc in Terris manifestanda, non solum ex relatione aliorum nota erunt; sed & qui omnium bonorum & gaudiorum, quibus in hoc Sabbato fruentur Sancti, oculati testes erunt. In hos igitur non minus tunc, quam unquam tempore Mosis, vel tempore Apostoli, quadrabit hæc Admonitio & Cautela; quum & postea, nempe post exactos illos Magni Sabbati mille annos, iterum illos tentatio adorietur, per quam multi seducentur & ad rebellionem inducentur, ut videre est Ezech. 38. & Apoc. 20. Adeo, ut jure meritissimo heic quoque ejusmodi Admonitionem & præcautionem optimè quadrare dicacamus, ne etiam isti terræ Incolæ, post mille istos Annos, quando Satan, à vinculis suis solitus, *Gog & Magog* contra Sanctam Civitatem & Castrum Sanctorum excitabit, illa seductione tanquam aquarum torrente, abripiantur, & in communium aliis rebellione pereant.

## P S A L M . X C V I .

Quinta CANTICI de Magno Sabbatho Pars, quæ itidem Electorum quædam vox est, seu Tuba Tertia, ex felici Terræ conditione enata, & emissâ non ad Fratres solum, sed ad omnes Terræ habitabilis Incolas.

1. **E**ia, Novo Jovæ celebremus Carmine Laudes:  
*Quisque Novum in Terris Incola pange melos.*
2. *Pange Deo Carmen solenne, & nomine Jovæ.  
Mirifico, resonet Machina tota Soli.*
3. *Narrate in Populis, quam fecit Facta stupenda,  
Et quō se dederit robore conspicuum.*
4. *Ma-*

4. *Magnus quippe DEUS; mulium laudabilis, utqui  
Dis alius semper terribilis fuerit.*
5. *Nam vesana colunt Gentes ludibria; at Ille  
Cælorum facilis condidit astra manu.*
6. *Ante Illum Decor & Venerandi gloria Vulnus,  
Ad que multorum Corda tremunt meritò.  
Sed purus sentitur Amor, Bonitasque Paterna  
Devoto intranti pectore sancta Loca.*
7. *Vos igitur Terræ Gentes, afferte JEHOVÆ  
Dona, afferte citâ Munera vestra manu!*
8. *Templum intrate DEI, vosque incurvate JEHOVÆ,  
Splendentî multâ cum pietate Piis.*
9. *Quin etiam à facie multum splendentis Iövae  
Tota simul Terræ machina nunc parveat.*
10. *Proclamate inter Gentes & dicite: Regnat,  
Regnat iö toto noster Iöva solo:  
Nunc stabili demum fulcro firmabitur Orbis,  
Æternum cunctâ mobilitate carens.  
Ipse suum Populum moderabitur, ipse Pusillis  
Non minus ac Magnis optima jura dabit.*
11. *Lætentur Cæli, totus quoque gestiat Orbis  
Terrarum, exultent & Freta salsa simul.*
12. *Nec non pinguis Ager, Sylvæque arbusta virentis,  
Nec non quicquid eis undique semper inest:  
Scilicet à facie Jovæ, qui ad ventat ut Orbem  
Iudicet, & populos Injustiam doceat!*

In præcedente audivimus Vocem quandam Electorum ad Fratres & Confor-  
tes Regni, ceu Tuba intra se-ipsos Clangentes. Hic, & in tribus sequentibus  
Psalmis, audietur Vox ceu Tuba alia, se extendens clangore suo in omnes  
Terræ angulos, ad omnes ejus Incolas, occasione Regiminis inter se stabiliti,  
ad DEI laudem cultumque excitandos: eoque nomine meritò *Novum* voca-  
tur *Canticum*, & velut inauditum hactenus, utpote quô non Domus Aaro-  
nis solum, aut Sacerdotes ad hoc peculiari modo sacrati; nec totus Israël,  
quem

quem Deus singulari foedere sibi obstrinxit; sed & Omnis Terra, id est, omnes familiae, populi & gentes Mundi, disertè invitantur ad duo hæc, quæ in genere hujus Psalmi Capita constituant:

I. *Ad Dominum laudandum, & Mirabilia ejus notificandum, additis Facti Rationibus.* vers. 1, 2, &c. — 7.

II. *Ad serviendum Ei, cum honoris exhibitione, Muneribus, Oblationibus & humili supplicatione,* vers. 7, 8, &c.

I. Quoad Primum, illud expressum habemus hisce verbis, vers. 1, 2, &c.

1. *Cantate JEHOVA canticum novum, cantate Omnis Terra.* 2. *Cantata JEHOVA, benedicite Nomiini ejus, annunciate de Die in Diem Salutem ejus.* 3. *Narrate in Gentibus gloriam ejus, in omnibus populis Mirabilia ejus.* 4. *Quoniam magnus Jehova, &c.*

Hæc verba diriguntur ad omnem Terram, hoc est, ad omnes Terræ habitabiliis Incolas, illos exhortans ad Cantandum Domino, & Nomiini ejus benedicendum, & Salutem quam toti Mundo destinavit, annunciatum: etiam ad prædicandum inter Gentes & omnes Terræ populos, D E 1, in procurandâ omnium Salute, Magnalia: Ut non solum Israël, & nonnullæ ex gentibus, qui suo tempore Deum nosse didicerunt, adeoque oves pascuae suæ facti sunt, eum laudent & colant; sed & omnes jam & singulæ Terræ gentes & familiæ; nullâ exceptâ. Id enim propriè sonat פָּלַח־הָרָא Omnis Terra. Ratio autem, cur meritò omnes Terræ habitabilis Incolæ, huic Tuba, seu Voci exhortatoriæ, attendere debant, hæc est

4. *Quoniam magnus Jehova, & laudabilis valde: Terribilis est super omnes Deos.*

5. *Quoniam omnes Diis populorum, idola sunt: Jehova autem Cœlos fecit.* 6. *Gloria & Decor coram eo: fortitudo & gloria in Sanctuario ejus.*

Si quis nunc ad Gerites ire vellet, eisque hoc Canticum præcineret, & Nomen Domini J. C H R I S T I commendaret, eisque Salutem illam, quam sua Morte & Resurrectione toti humano generi acquisivit, annunciatet, eoque nomine illum verè Jehovam, (יהוָה) Justitiæ nostræ nuncuparet; *Quis, hoc rerum statu, id acceptaret?* Quamdiu ipsi Judæi, ad quos expresse misflus fuit, eum repudiant; & Christiani, qui ipsis fidem profitentur, adhuc inter se tam discordes sunt, ut etiam inter ipsis CHRISTUS Domini in foveâ captivus detineatur. Thren. 4.29. Quid spei esse potest, ut aliae Terræ gentes illum recipient? & ut quisquam, reliquo proprio D E O, & contemptu Diis Patrum suorum, serviat D E O, qui etiam à suis tam parum aestimatur? Et ut incurvet se ei, qui inter duos Latrones crucifixus & sic è Terra sublatus fuit? nunquam redditurus, nisi ad consumendum omnia igne & sulphure. Certè, quamdiu hæc ita stant, frustrâ est omnis prædicatio nostra. At, quando semel hoc Sabbathum erit celebratum, & Dom. J E S U S secundâ vice apparuerit, se manifestando priuam Judæis, & inter eos potestatem & gloriam, quam à Patre acceperat, per multa magnalia opera ostendendo; & deinde quoque aliis, cuiuscunque Terræ, nationis aut lingua populis: Tunc demum erit Magnus & laudabilis valde, & terribilis super omnes Deos Populorum. Imò, Majestas & gloria quâ tunc indutus erit, & Fortitudo illa

illa & Decor Sanctitatis suæ ejusmodi erit, ut hōc ipso omnes Dii Gentium pro Idolis reputandi & declarandi sint. Clarè enim tunc patebit, Nullum Idolum, quantumcumque videri potuerit, quid creasse; ne aviculam quidem aut muscam in aëre volitantem, neque herbulam è terra germinantem; ubi è contrâ toti Mundo palam erit, quod Dom. J E S U S, tanquam unicus D E I Filius, vivum illud D E I Omnipotentis Verbum, & visibilis Imago Invisibilis D E I, condiderit omnia quæ non solùm in Terra & Mari; sed etiam quæ in Cœlis sunt: prout exprimitur vers. 6. Et meritò vocatur *Novum Canticum*, utpote quod nunquam antè in Terris cantatum fuit; nempe, in veritate & viva experientiâ. Alioqui solo verborum sono, & in spe longinquâ, expectantiumque desiderio, Psalmus hic crebrè, tam à Judæis quam Christianis, fuit decantatus: Sed in veritate & essentialiter nunquam nisi in hac Magni Sabbati Die.

I I. Quod attinet Secundum hujus Psalmi Caput, illud habemus in vers. 7, 8, &c.

7. *Afferte Jehovæ familiæ populum, afferte Jehovæ gloriam & fortitudinem.*
8. *Afferte Jehovæ gloriam nominis ejus, afferte oblationem, & introite Atria ejus.*
9. *Incurvate vos Jehovæ in decore Sanctitatis, pavete à facie ejus Universa Terra.*
10. *Dicite in Gentibus, J E H O V A regnat, etiam firmabitur Orbis, non commovebitur, judicabit populos in reddituine.*

I I. *Lætentur Cœli, & exultet Terra! tonet Mare & plenitudo ejus!* 12. *Exultet Ager & omne quod est in eo, & tunc exultabunt omnes arbores Sylvæ.* 13. *Coram J E H O V A, quia venit, quoniam venit judicare terram: judicabit Orbem in Justitâ & populos in veritate suâ.*

Non satis erit J E H O V A M laudare, & Mirabilia ejus Opera ubique annunciare, tempore Regni: Sed & tunc demùm ei ritè servietur, prout hīc totus Mundus, per hanc Tūbam, ad hoc excitabitur: & quidem non solùm Terra in universum, sed & omnes ejus familiæ in specie. Et quidem constabit hic Servitus in Quinis hisce distinctis Actionibus.

I. In Dom. J E S U omnem gloriam & fortitudinem adscribendo, prout legimus de Angelis illis numero millies Centies mille, & decies Centies mille, qui voce magnâ Agno in throno sedenti acclamabant, dicendo: *Dignus est Agnus ille missatus, qui accipiat virtutem & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem.* Apoc. v. 11, 12. Afferte Jehovæ gloriam & fortitudinem, vers. 7.

I I. In dando ei gloriam Nominis sui: quod Nomen id est, ad quod flectetur omne genu eorum qui in Cœlis, in Terrâ, & sub terra sunt. Phil. 2. 10. Nempe, Nomen illud יהוָה de quo suprà, Psal. 95. 3. Afferte ei gloriam Nominis ejus. vers. 8.

I I I. In offerendo ei Oblationem (*מנחה*) prout passim Scriptura testatur tunc in usu fore, ut Apoc. xxj. 24. disertè dicitur, *quod Reges Terra adferent ad urbem Sanctam, quæ est Jerusalem, gloriam suam & honorem:* Quòd spectat quoque quod legitur Psal. 51. 10, 21. Item Psal. 66. 13, 14, 15, & Esa. 66. 21, 22, 23.

I V. In introeundo in Atria ejus, seque ei incurvando in decore Sanctitatis suæ; prout tunc fiet ab omnibus Nationibus & Populis totius Terræ. Esa. ij. 3, Mich. iv.

V. In

V. In illa humili reverentiâ, & sancto pavore, quô Gentes Mundi afficiuntur à facie Domini, & decore Sanctitatis suæ. vers. 9. *Incurvate vos Jehovâ, pavete à facie ejus, Sc.*

En, hæc est illa Servitus, quæ tunc temporis præstabitur Domino! ut autem constet, quo fundamento rationabili nitantur, tam Laudes & glorificationes Deo offerendæ, quam Servitus hæc ei præstanda; hoc est illud ipsum, quod hic Psalmista Gentibus promulgari vult, cum dicit vers. 10. *Dicite inter Gentes, JEHOVA Regnat, etiam firmabitur Orbis, Sc.*

*Primò*, pro generali hujus Lætitiae & Servitus Divinæ fundamento ponitur, Quod jam non amplius Princeps hujus sæculi, nec quisquam Potentissimorum Gigantum, multò minus quepiam quatuor Bestiarum Danielis, (non scilicet Leo, non Ursus, non Pardus, nec illa ultima & omnium formidabilissima Bestia) in Terra Dominium obtineat. Sed quod solus Jehova, (hoc est unicus Æternus & Omnipotens Deus, Creator Cœli & Terra) in Iesu CHRISTO regnet.

Deinde etiam fusiū ostenditur, *Quid inde utilitatis, quid Exultationis, toti Terrarum Orbi sit proventurum; Imò quale Justitiae Regnum sit futurum.* Hinc enim

I. Firmabitur Orbis, ut ne nutet, aut vacillet, amplius (ut & suprà, in Psal. xcijj. vers. 1. annotavimus) Non enim amplius arenæ, humanarum conceptionum, innitetur; sed solido Justitiae & Veritatis fundamento. Qym Rex hic populos non sit judicaturus secundum visum oculorum suorum, aut secundum privatum aliquod commodum aut oblectamentum, sed secundum Justitiam & æquitatem. vers. 10.

II. Ethinc quoque exultabunt Cœli, nec non & Terra & Mare, & quicquid in eo est: Et hoc est, quod vidit & audivit Johannes Apoc. v. quando dicit de Omni Creatura, quæ erat in Cœlo & super Terram, & sub Terra, & quæ in Mari, & de iis quæ in eis sunt omnibus, quod *Insidenti Throno, & Agno, dabant benedictionem, & honorem, & gloriam, & robur, in secula seculorum.* vers. 11.

III. Et ipse Ager hinc præ gaudio exultabit & quicquid in eo est; utpote cui non incumbet amplius Maledictio, sed qui jam in gloriam Creatoris sui, & refocillationem omnium Terræ inhabitantium, plenam suam potentiam exeret. Et quemadmodum Terra, ita & Mare præ gaudio exultabit, & fluctibus suis nullam amplius noxam inferet homini, sed prospera omnia. vers. 12.

Causa autem horum omnium iterum inculcatur vers. 13. quando dicitur à facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare Terram, Sc. Quæ repetitio verborum, quia venit, quoniam venit, Sc. Dominus regnat, toties in hoc Cantico iterata, notat & certitudinem & momentum rei, de quâ agitur, quæ meritò omni diligentia nobis observanda est. Hoc enim propriè illud Regnum DEI est, de quo toties loquitur Döm. Iesus & quod tot similitudinibus explicuit; quamvis spes ejus nostro tempore prouersus evanuisse videatur; ac si nunc à CHRISTO nihil aliud expectandum esset, quam ut appareat in flammâ ignis ad totum Mundum, & quicquid in eo est, comburendum, & sibi tunc paucos quosdam in Cœlum assumentum, & reliquam humani generis massam in æternas Infernales Cruciatus deritudendum. Sed hisce missis transeamus ad vocem Electorum, quæ sequitur.

PSALM.